

p. 711., Sigon. de ant. jur. civ. Rom. 11. 15., Panvin. de Civit. Roman. c. 66., aliique apud præfatum Pitiscum. Hinc inter Liçtores, & Apparitores differentia, quod Liçtores Magistratibus præibant, Apparitores vero circumstabant. Liçtoribus erant insignia, quæ manibus deportarent, fasces nimirum cum virgis, & securi; Apparitoribus insignia nulla, & in vestibus, ut infra, agnoscebantur. Demum Apparitores, non Liçtores, volunt, quos Vergilius memorat, *Æneid.* 12. 850.

*He Jovis ad solium, sævique in limine Regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus agris.*

Si Apparitorum originem spectemus, & gentem, ex libertis, & libertinis, Magistratum, quibus apparebant, fuisse, scribunt Pollet. for. Rom. v. 12., Sigon. 1. 1. Et quum ex iis quidam, Apparitores nimirum cohortales, Apparitores prætoriani, Officiales inter milites dicerentur, planum est, ex libera gente, & non ex servis, duxisse, aut originem, aut nativitatem.

Apparitores cohortales ab officio liberari non poterant, nisi Primpili munere completo. Et ideo, apud Pitiscum, a Paulo Jurisconsulto perpetui appellantur, 1. Præsidis 34. si cert. potat. *Præsidis Provinciæ Officiales, quia perpetui sunt, mutuan pecuniam dare, & fœnorem exercere possunt.* Ad quæ subjiciunt: *His non licere ad aliam militiam, seu officium, transire, sine annotatione, seu indulgentiæ clementiæ principalis.* Et Valentinus, 1. 7. penult. & ult. C. de Cohortal., inquit: *Ordinariorum Judicum Apparitores, qui vel Speculatorum, vel Ordinariorum, attigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione, laxentur, priusquam Primpili pastum digesta ratione compleverint.* Cohortales quoque erant ipsorum liberi; 1. 12. de Cohort., 1. 1. & seq. C. de filiis Offic. Et describi in ma-
tri-